31r

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus eukaristiam instauravit
Consequenter audiamus quomodo hostibus suis occurrens ipsos prostravit
Quia Judas cum aliis percepisset sacram communionem
Abiit ut faceret hostium Christi congregationem.
O quanta erat Christi benignitas et clementia
O quanta erat Jude malignitas et dementia
Christus eum sacramento corporis et sanguinis sui cibavit
Et ipse de traditione illius in corde suo tractavit
Christus sciens omnia noluit eum prodere neque sacramentum sibi negare
In quo voluit sacerdotibus formam communicandi dare.
Sacerdos sciens aliquem cum mortali ad communionem accedere
Non debet sibi negare ne videatur eum prodere.
Abiit igitur Judas ut inimicos Christi congregaret.
Christus autem ivit ad locum quem sciebat Judas ut eos ibi expectaret
Venerunt ergo armati cum gladiis et fustibus
Querentes eum in tenebris cum lucernis et facibus.
Ihesus autem absque armis in occursum eorum ivit
Et quem quererent cum omni mansuetudine quesivit
Illi autem tanquam gigantes contra eum steterunt
Et ut Ihesum Nazarenum quererent responderunt.
Ihesus autem mitissimum et dulcissimum dabat eis responsum
Dicens humili voce et benigno ego sum
Quo audito omnes retrorsum abierunt
Et tanquam mortui coram eo in terram corruerunt
O dementissime Judei quid prodest vobis tanta multitudo
Qui iacetis prostrati mitissimo verbo uno
Quid proficit vobis arma varia et diversa consilia.
Quorum prostrata sunt uno verbo tanta milia.
Quid prodest vobis armatura ita terribilis
Que uno verbo prostrata prohibetur esse inutilis
Nonne videtis Christum solum potentem vobis omnibus esse,
Et si vellet vos omnes interficere posse.
Immo posset precipere terram sub pedibus vestris aperiri
Et vos omnes vivos tanquam Dathan et Abyron deglutiri
Vel posset ignem et sulphur super vos pluere.
Et tanquam Sodomam et Gomorram consumere.
Vel posset per aquas celi vos omnes delere
Sicut olim delevit totum mundum fere.
Vel posset vos tanquam uxorem Lot in lapides mutare
Vel tanquam Egyptios diversis plagis molestare.
Vel posset vos omnes convertere in pulverem cinerum
Sicut exercitum Sennacherib centum octoginta quinque milia hominum
Vel posset vos interficere per mortem subitaneam
Sicut olim interfecit filios Jude Her et Onam.
Vel posset vos interficere per gladium angelicum
Sicut sub David occidit magnum populum
Vel posset vos omnes in potestatem diaboli dare
Sicut temporibus Thobie dedit septem viros Sare
Vel posset ignem mittere qui consumeret vos.
Sicut Thore cum suis et duos quinquagenarios

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0062
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt